



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

*MARCO S.R.E. CARDINALI OUELLET, P.S.S.
CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS PRAEFECTO
NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO
AD QUINQUAGESIMUM CONGRESSUM INTERNATIONALEM EUCHARISTICUM
DUBLINI CELEBRANDUM*

Venerabili Fratri Nostro

Marco S.R.E. Cardinali Ouellet, P.S.S.

Congregationis pro Episcopis Praefecto

Ubique terrarum cunctas apud Ecclesias Domini Corporis sacrosanctum mysterium conspicuum usque obtainere locum novimus. Ex eucharistico enim sacramento, salienti quasi e fonte spiritualis salubritas beneficiorumque Salvatoris copia largiter manant ac defluunt. Fideles autem ad caeleste convivium accedentes, supernis praesidiis fulciuntur ac sua item opera in cotidianis officiis sustinendis fortius studiosiusque agere valent.

Provido nempe de consilio scimus quinquagesimum Congressum Internationalem Eucharisticum Dublini diebus X-XVII mensis Iunii futurum. Praestanti hoc compulsos eventu, credentes turmatim adfuturos arbitramur, Corporis et Sanguinis Christi mysterium ut pientissime, quemadmodum decet, venerentur atque renovationis vires augeant.

Cupimus et Nos pietatis hae testificationes ut confirmentur et fides roboretur, quo latius pleniusque Domini hodierni homines fruantur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus. Sacrum namque hoc convivium multum affert efficacitatis et ad maiora patranda usque animum addit. Itaque ut celebratio haec clarius peragatur et adspectabilius, congrua iusta que petente venerabili Fratre Diarmuid Martin Archiepiscopo Metropolita Dublinensi, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostrum admovimus, utpote cum eventus ille ad tuum adiumentum

quoque aggregetur. Ideo praestabilis visus es ad personam nostram illic sustinendam. Quapropter fraternalm tibi benevolentiam declarantes, te Missum Extraordinarium nostrum constituimus et nominamus ad Congressum Internationalem Eucharisticum Dublini celebrandum.

Verba tandem nostra transmittenda curabis et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum ac simul omnibus participibus benevolentiam nostram significabis. Caelesti dape refecti exoptamus ut fideles feliciorem aetatem spiritalemque prosperitatem consequantur. Haec cuncta Benedictione nostra apostolica confirmamus, quam nostra auctoritate ac nomine omnibus participibus largiaris copiose volumus, superna nuntiaturam adiumenta ac robora.

Ex Aedibus Vaticanis die XIV mensis Maii, anno MMXII, Pontificatus nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2012 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana